



A G A R cùm grauida esset, spreuit dominam suam Saram: quamobrem eam Sara asperrimè coarguit & afflixit, cùm habuisset ius in illam à viro suo: quare Agar fugam arripuit: ab Angelo autem commonefacta, ad dominam rediit, & peperit Ismaël.

I S M A E L, filius Abraham ex Agar, natus est anno mundi 2036. ante Christum natum 1926. Hic in desertis locis habitauit, quando iuuenis vnà cum matre ab Abraham dimissus est: factusque est sagittarius: dedit illi mater vxorem de terra Aegypti, ex qua liberos duodecim sustulit, vnumquemque principem tribus suæ. Obiit Ismaël, anno ætatis 137. Vide Genes. 16. & 25. cap. item Ioseph. lib. Antiq. 1. cap. 18. & 21.

Anno duodecimo à natiuitate Ismaël, Sodoma, Gomorrha, Adama, & Seboim, ciuitates, propter peccata incolentium, funditus euersæ sunt cum incolis, igne & sulphure diuinitus immisso. Solus Lot cum duabus filiabus euasit, diuina clementia vt discederet præmonitus: cuius vxor in statuam salis versa est, anno mundi 2048. ante Christum natum 1914. posthac anno vno atque altero, natus est Isaac. Vide Gene. cap. 19. Iosephum, lib. 1. cap. 19.

Circa hæc tempora Arius, sextus Assyriorum rex, collecto exercitu post patris Ninix obitum, Bactrianos ac omnes Caspios subiecit. Bero. lib. 5.